nem obuiare nobis. que q̃stū magnū
p̃stabat dñis suis diuinādo. Hec sub
secuta paulum ⁊ nos clamabat dicēs
Isti homines serui dĩ excelsi sunt qui
annunciant vobis viaz salutis. Hoc
autem faciebat multis diebus. Do/
lens autem Paulus. et cōuersus spi
C ritui dixit. Precipio tibi in nomine
iesu christi exire ab ea. Et exijt eadem
hora. Uidentes autem domini eius:
quia exiuit spes questus eoruz: appre/
hendētes paulum ⁊ sylaz perduxerūt
in forū ad principes: et offerentes eos
magistratibus dixerunt. Hi homīes
conturbant ciuitatem nostram: cum
sint iudei. et annunciant morem quē
non licet nobis suscipere neq̃ facere
cum simus romani. Et cucurrit plebs
aduersus eos ⁊ magistratus scissis tu
nicis eorum iusserunt eos virgis cedi
Et cum multas plagas eis imposuis
sent miserunt eos in carcerem: preci/
pientes custodi vt diligenter custodi
ret eos. Qui cum tale preceptum ac/
cepisset misit eos in interiorem carce/
rem: et pedes eorum strinxit ligno.
Media autem nocte paulus et sylas
adorantes laudabant deum. et audie
bant eos qui in custodia erant. Su/
bito vero terre motus factus est ma/
gnus: ita vt mouerentur fundamēta
carceris. Et statim aperta sunt om̄ia
ostia. et vniuersorum vincula soluta
.5.c.et.18.b sunt. Expergefactus autez custos car
ceris ⁊ videns ianuas apertas carce/
ris euaginato gladio volebat se inter/
ficere estimans fugisse vinctos. Cla/
mauit autem paulus voce magna di
cens. Nihil tibi mali feceris. Uniuer
si enim hic sumus. Petitoq̃ lumine
introgressus est. et tremefactus proci
dit Paulo ⁊ syle ad pedes: et produ/
cens eos foras ait. Domini: quid me
oportet facere vt saluus fiam? At illi

dixerunt. Crede in dominum ihesum
et saluus eris tu et domus tua. Et lo/ D
cuti sunt ei verbum domini: cum om/
nibus qui erant in domo eius. Et tol
lens eos in illa hora noctis lauit pla/
gas eorū. et baptizatus est ipse ⁊ om/
nis domus eius continuo. Cumq̃ p̃/
duxisset eos in domum suam apposu/
it eis mensam: et letatus est cum om/
ni domo sua credens deo. Et cuz dies
factus esset miserunt magistratus li/
ctores dicentes. Dimitte homines il/
los. Nunciauit autem custos carceris
verba hec paulo: quia miserunt magi
stratus: vt dimittamini. Nunc igitur
exeuntes ite in pace. Paulus autem
dixit eis. Cesos non publice indēna
tos homines romanos miserūt ī car/
cerem. et nunc occulte nos eijciunt?
Non ita: sed veniant ⁊ ipsi nos eijci/
ant. Nunciauerunt autem magistra
tibus lictores verba hec. Timuerunt
q̃ audito q̃ romani essent: et venien/
tes deprecati sunt eos: et educentes
rogabant vt egrederentur de vrbe.
Exeuntes autem de carcere: introie/
runt ad lidiam: et visis fratribus con
solati sunt eos: et profecti sunt.

XVII.

Cum autem perambulas/ A
sent amphipolim et ap/
polloniam venerunt thes
salonicam: vbi erat syna/
goga iudeorum. Secundum con/
suetudinem autem Paulus introi/
uit ad eos. et per sabbata tria dissere/
bat eis de scripturis adaperiens et in
sinuans quia christum oportuit pa/ Luce.24.g.
ti et resurgere a mortuis: et quia hic
est ihesus christus quem ego annun
cio vobis. Et quidam ex eis credi/
derunt et adiūcti sunt paulo et syle: ⁊
de colētib' gētilibusq̃ multitudo ma/
gna ⁊ mulieres nobiles n̄ pauce. Zelā

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-105/0813
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG